

banc necessariâ pullulat : illa est materia Reipublica primaria ; hæc secundaria. Societas hominum duplex est : prima sive simplex, quæ naturæ necessitate quotidiani usus gratiâ instituta, ab eadem domo, quâ plerumq; continetur, Domestica appellatur, qualis est 1. Mariti & Uxoris, & dicitur Conjugalis: 2. Parentum & Liberorum, & dicitur Patria. 3. Domini & Servi, & dicitur Herilis; Et Orta sive composita, quæ commodioris vitæ gratiâ naturâ sic alliciente priori quasi superaddita, à Civitate, quam constituit, Civilis appellatur. Illa materiam Reipublicæ remotam; hæc propinquam suppeditat.

Questio I.

An homines temerè & fortuitò atomorum instar in societatem confluxerint?

HOc Epicuri commentum jamdiu refutavit Cicero l. 1. & 2. de Nat. Deorum, nec operæ pretium est, ut pluribus illud refellatur. Nos potius humanarum societatum certas fuisse causas dicimus, & 1. quidem ipsum Deum, omnis boni & honesti principalem autorem: 2. internum humanæ naturæ instinctum, quo ad *κοινωνίαν* homo præ apibus aliisque gregariis animalibus à primis statim incunabulis fertur, hinc etiam *ζῷον πολιτικόν* animal sociabile vocatur Arist. l. 1. pol. c. 2. Has excipiunt aliæ causæ externæ impellentes, sc. 1. periculum, nam etsi duce naturâ, inquit Cicero, congregantur homines, tamen etiam spe custodiæ rerum suarum communia urbium præsidia quærebant, 2. Indigentia, infantes enim ad vivendum, adultos ad benè vivendum aliorum ope indige-
re.